DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAEL CAHILL,
Hibernus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

NOSOLOGIA clarissimi Culleni, Hepatitidis locum, in classe Pyrexiarum, et ordine Phlegmasiarum, attribuit. Idem in duas species, acutam, et chronicam, divisit; atque speciem acutam, his verbis, definivit.

"Pyrexia, hypochondrii dextri tensio, et dolor, saepe pungens pleuritici instar, saepius obtusus; dolor ad claviculam, et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis, dyspnoea, tussis sicca, vomitus, singultus."

De secunda specie, Chronica, dixit, "Haec fere nulla, quibus dignoscatur, signa praebet; aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex Hepatitidis causis quibusdam, praegressis; ex sensu quodam plenitudinis, et gravitatis,

in hypochondrio dextro; ex doloribus plus minusve pungentibus, in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro, vel a decubitu in latus sinistrum sentito; et denique ex pyrexia leviori, cum signis dictis subinde infestante.

MORBI HISTORIA.

Hanc haud secus ac alias inflammationes, praecedunt capitis dolor, languor, lassitudo, cibi fastidium, horrores, cum caloribus alternati. Tum dolor in dextro hypochondrio, plerumque acutus, saepe obtusus, percipitur; aeger de sensu gravitatis, aut plenitudinis, eadem parte, conqueritur. Dolor manu admota aut in latus sinistrum decumbendo, augetur. Alvus parum regularis, modo adstricta, nil nisi dura, et albescentia, stercora, exprimens, modo frequens, plurimas dejectiones biliosas, profundit. Urina natura parcior, rubet, aut si icterus adsit nigrescit; linteam tingit. Cutis summa vehementer ultra calorem naturalem ardet. Lingua sordida, aut albida, aut flavida crusta, contegitur; fauces arescunt; oculi flavescunt.

Signa vero pro parte affecta, semet temperant; superficie convexa inflammata, spiritus difficilis est, singultus supervenit, tussis molesta, hepar nonnihil prominet, acute tactu dolens. Pulsus

validus, frequens, dolor ad summum humerum surgit, modicus tamen et manum dextram torpifaciens. Si quidem facie concava malum haereat, ventriculus et intestina, muneribus suis male funguntur; aeger cibum fastidit, aut sumptum revomit. Icterus subinde sed raro se ostendit.

MORBI TERMINATIO.

Hepatitis in resolutionem, suppurationem, scirrhum, raro quidem in gangraenam, desinit. Omnium resolutio frequentissima est, et praeoptanda, et aliquando natura ipsa, curationem, aut sanguine naso, venisve haemorrhoidalibus profuso, aut sudore universo liberrimo, aut sputo copiosissimo, aut diarrhoea demum biliosa, molitur. Alias, translationem affectans, splenem inflammat, aut cutem erysipelate occupat.

Si inflammatio ante sextam aut septimam diem non vincatur, nec ulla signa resolutionis se ostenderunt suppuratio metuenda est; crebri horrores, pulsus celer, febris hectica, cum sensu ponderis, et doloris, cessantibus, eandem adesse docent. Pus adhesione facta in pulmonem, in ventriculum et intestina, vel demum in cavum abdominis iter sibi facit. Nonnullis, vero, hepate prius cum abdominis pariete adhesione, conjuncto, extrinsecus tumor se ostendit mollis evidenter fluctuans *.

* Boerhaave.

Apostema quamvis vulgatissimo usu abscessus nomine intelligatur; inflammationis transitus in suppurationem, et puris inde nati collectio, in quadam parte corporis; interim magis generali significatione, abscessus, nomen adhibetur. Galenus enim in universum sic vocabat illas affectiones, in quibus ab invicem partium corpora, quae prius mutuo sese tangebant, abscedunt. Spatium igitur in medio vacuum fieri necesse est, quod materiam aliquam, aut fluctuosam, aut humidam, aut ex utraque mixtam, continebit. Ubi autem purulentus abscessus post inflammationem praegressam natus est in hoc viscere, tunc tale apostema Hepatitidis effectus est, non vero causa: potest tamen premendo vicina loca in ambitu, novam inflammationem producere. Verum observationes medicae docuerunt mira saepe apostemata in Hepatitide reperta fuisse, in quibus nihil purulenti sed longe alia materia fuit. Talem abscessum, gelatinosâ materiâ plenum, ad plures libras accumulatâ, in gibba hepatis regione, in cadavere invenit Bianchus; ingens ille tumor diaphragma tandem laceraverat, et in cavum dextrum thoracis magnam partem contentae materiae effuderat, et tandem suffocaverat miserum hominem. Plurimos minores longe tumores per totam hepatis substantiam dispersos, qui materiam, albumini ovi igne indurato simillimam continebant, in puella sexenni, longa febricula extincta observavit pariter. In cadavere hominis fumo carbonum suffocati, nul-

lum in reliquis visceribus vitium apparuit, sed propè fundum vesicae felleae magnus eminebat tumor globosus, cujus alterum hemisphaerium substantiae hepatis increverat: tumor ille lanci impositus ultra libram pendebat, et crassam pellem exterius habebat; in cavo hujus tumoris continebantur ultra novem millia vesicularum compressarum, colore et figurâ pelliculas uvarum vacuas referentium, diversae tamen magnitudinis inter se. Mirum et hoc erat, quod nec sibi mutuò, nec majori sacco, in quo haerebant omnes ullo modo adhaeserint. In hepatis majori lobo cavitatem satis magnam invenit celeberrimus Littrius, quae continebat corpora ovalis figurae, plena liquido visco, instar aquae pellucidae.* "Juvenis annorum circiter viginti, quod ex nativa corporis salubritate valetudinarius, jam quas à biennio fieri coepisset, causam rejiciebat, cum in venationem, saltationem alioque ejusmodi quibus indulserat plurimum, tùm in proprium artificium; linum enim carminabat. Pallidus autem factus erat, et hypochondriacorum more, de levibus ventris thoracisque affectionibus identidem querebatur. Tandem aestate anno 1688, magnus durusque, in sinistro hypochondrio sese prodidit tumor, cum ponderis sensu, difficilique inter ambulandum respiratione. His repentè accessit largus sanguinis vomitus cum magnâ virium jacturâ, tumoris incremento, et febre. Remediorum ope primis diebus

* Morgagni, lib. iii, epist. 36.

à vomitu, deindè etiam à febre liberatus, cum per tres menses proximos chalybeatis usus esset, tumoris quoque durities sublata est: ejusdem tamen magnitudo perstitit, cum pallido et quasi citrino faciei colore.

"Januario autem mense bis terve redeunte sanguinis vomitu, in vehementem incidit febrem, cum pulsu celeri, duro ac parvo, utriusque hypochondrii dolore, pondere, tensione, sitique inextinguibili: placidissimo tamen obitu sublatus est, licet in vasis omnibus sanguinis portio superesset. Itaque ventris viscera insueto pallore, et quasi candore ad se, oculos alliciebant, si splenem exciperes, qui naturalem servabat colorem; sed ductus adeò erat, ut hepar mole superaret, ponderatque libras quatuor semisse. Nec erat aequo durior, nisi quod ad convexam faciem uno aut altero in loco solidiorem altè recondebat substantiam majorem nucis magnitudine. In splenis trunco polyposae concretiones latebant, quae cum ejus venae ramis perbellè se intra splenem dividebant. Hepar valdè pallidum, rubris duntaxat hic illic maculis distinguebatur. Fellis vesicula hepate pallidior, atque adeò albicans, bilem continebat paucam coloris maximè diluti, cui similis in ventriculi fundo non durat. Caetera in ventre sana in thorace pulmones, qua anteriora spectabant, pallidi; quà dorsum ex atropurpurei, et inflammati apparuerunt: dissecti autem multùm seri emiserunt spumosi. In dextro cordis ventriculo

parva concretio polyposa; in sinistro ejus tantummodo inchoamentum."

Morbus autem saepe citò et funeste terminat sine suppuratione; sic Burserius apud notas exempla è Crawfordio rescripsit, in quibus hepar sine alio quovis morbo magnitudine augebatur, signa verò sequuntur.

Abdomen exopinato extumescit in immensam molem, durum tamen et nulla fluctuatione undosum, respiratio difficillima est, quod est indicium praecipuum, virium jactura universa praecedit, cum sensu stricturae in pectore; atque vertigine à corpore motu; crurum pedumque oedema supervenit, dorsum dolet, sitis indomabilis, cibi fastidium est, pulsus debilis parvus, sed post venaesectionem plenior et distinctior; facies rubet suffusa.

Tumore ventris augescente, dyspnoea quoque aggravatur. Haec enim duo signa paulo post primam morbi invasionem fiunt molestissima. Cito aeger queritur de oppressione quadam cordis regionem obsidente, deque constrictione sub cartilagine ensiformi nunc intolerabile facta, crebròque suffocante; vertigo aliquando accedit adeo ut aeger stare nequeat, sed cubiculum ire ut syncopen evitet cogitur. Nonnulli hoc tempore cordis palpitationem percipiunt, quae aut sanguine per arterias hepaticas transitura est, vel ex hepatis indurati obstructione, ideoque in vena portarum accumulatione proveniat ista palpitatio.

Cadaveris exploratio immensam hepatis molem, diaphragma, pulmonesque comprimentem ostendit.

Scirrhus—Crebrò hepatis inflammationi sequitur, sed paulatim et sine ulla Hepatitide manifesta superinduci potest, ut si regionem calidam aeger aliquamdiù habitaverit. Tum enim vasa hepatica, praesertim rami venae portarum magnopere relaxantur, effunditur aliquid; lympha coagulabilis ut videtur, in hepatis substantiam, quod ibi, more quodam incognito, mutatur. Eadem fere ratione hydrops inducitur, nam quicunque absorptionis torpor ad aquam intercutem colligendam operetur, manifestum est, effusionem haud mediocrem, a vasculis exhalantibus orituram esse; quae res nonnisi auctae vasorum actioni originem debet.

Gangraena.—De hac adeo rara terminatione Saunders* inquit, "Exempla saepe vidi, quibus dolor et inflammatio valdè subitò subsiderunt, pulsu exili, vacilante, extremis frigidis succedentibus, adeò ut hoc, licet rariùs multò, quam aliis morbis, gangraenam suspicaveris."

CAUSAE REMOTAE.

Plurimae sunt causae quae Hepatitidem excitant. Calor non tantum homines, huic morbo,

* Saunders on the Liver.

praedisponit sed etiam infert; liquet, calorem tales affectus potenter affectare, attamen in hac regione nostrâ, cholera, et postea hepatis inflammatio plurimos adoritur. Principem utique locum inter causas hujus morbi excitantes meretur calor. Post eam causam sunt recensendae caloris et frigoris subitae mutationes. Hepatitis enim eos, qui aëri roribusque nocturnis regionum calidarum sese temerè objiciunt, adoritur. Hepar et aliquando pulmones a potu frigido dum corpus calet hausto, sudoremque nimis subito supprimente, saepe inflammatione afficiuntur. Intemperantia, liquorum ardentium abusus immodicus, affectus animi violentes, febres remittentes aut intermittentes, calculi hepati inhaerentes, injuriae externae omnes, causae frequentissimae sunt: memoratu haud indignum, jecur ex ictu capiti impacto, inflammatione correptum fuisse, sed propter quem consensum inter encephalon et hepar hoc fiat, nescimus. Quivis ictus in caput, vomitum violentem movebit: unde auctores, ni fallor, duxerunt hanc actionem, fibris musculorum abdominis et diaphragmatis vehementer jecur, vix minus quam ventriculum, comprimere, sed propter naturam ejus delicatiorem irritare, fistulas vehementer emulgare, tandemque in inflammationem praecipitare. Bertrandi in libello, De Hepatis Abscessu, haec verba sunt: "Nous connaissons, par un assez grand nombre "de faits, bien observés, que l'abscés du foie est "principalement àcraindre, aprés les plaies de tête,

" lorsque les blessés vomissent, peu aprés la bles-
" sure, une bile verdatre."

SIGNORUM RATIO.

Tensio, dolorque hypochondrii dextri, ad sedem inflammationis manifeste referendi sunt; variant pro parte affecta sensu, aut intensione.

Dolor claviculae, aut summum humeri dextri, scriptores magnopere torsit; variasque iis sententias elicuit. Nonnulli per sympathiam illam quam remotam vocant, genere scilicet nervoso intercedente, explanare conantur: alii per nervum phrenicum, certè ex communi et duplice radice cum nervis humeri orientem, et in dextero corporis latere, per septum transversum in hepar usque penetrante, rei hujus difficillimae rationem reddunt.

Decubitûs in latus sinistrum difficultas, propter ligamenta, hepar suspendentia, tumque tensa, inflammatione correpta, et dolentia, occurrere videtur.

Spirandi difficultas, tussis, singultus, a mole hepatis aucta, diaphragma sursum premente, et irritante originem trahunt; tussis ab inflammatione aliquando per diaphragma ad pulmones procedente subinde provenit. Nausea, et vomitus molestissima sunt signa, ubi facies hepatis convexa inflammatione afficitur, tum enim ventriculus propter jecinoris vicinium, citissimè inflammatione afficitur.

DIAGNOSIS.

MORBI quibuscum Hepatitis confundi potest, ferè sunt Pneumonia, Dyspepsia, Gastritis, Enteritis, et Spasmus ductus biliferi. Si vero signis probe attendamus, diagnosis haud difficilis erit.

Pneumonia.—Hepatitis a Pneumonia distingui potest, quia dolor Pneumoniae post plenam inspirationem, multò acutior est. Hic raro si unquam in clavicula, aut summo humero, in Pneumonia percipitur, sed thoracis partem aliquam praesertim inter sextam et septimam costam, nec pressione auctus, occupat. Aliquando etiam sedem ab alia in aliam partem thoracis mutare reperitur. In Hepatitide integumenta hypochondrii dextri tumida, et tensa apparent, quod in Pneumonia non fit: tussis, spirandi difficultas magis urget, ultima praesertim sub initio; nam in Hepatitidis progressu, quando ea pars jecoris afficitur, quae intra costas falsas est, semet in tantùm amplificat, ut diaphragma comprimat, eoque in modo indicia supra dicta inducat.

Dyspepsia.—Qui Hepatitidem lentam patiuntur, ventriculo semet leviter laborare saepenumero credunt, quia dolor, aëre stomacho expulso, liberare solet. Haec autem doloris diminutio aliter explicari potuit, per ventriculi distentionem sic sublatam, nec ideò hepar inflammatum amplius pressione sua laedentem. Si quidem ad dolorem scro-

biculi cordis, necnon hypochondrii dextri pressione auctum, summum humerum et claviculam saepe occupantem, cutis et oculorum flavedine, facile distinguas.

Moles enim hepatis exaucta, ductus biliferos premit, quo pacto bilis resorbetur ; perque corpus circulatur. Difficultas quoque in latus sinistrum decumbendi, hoc malum a dyspepsia haud ambiguè discriminabit.

Gastritis.—In hoc, dolor abdominis est circa umbilicum maxime torquens. Febris typhodes est atque debilitate insigni stipata, quo signo ab Hepatitide, nullo negotio discriminatur.

Ductuum biliferorum spasmus.—Dolor ex intervallo rediens, atque sine causa manifesta obortus, de corpore antrorsum in genu flexo maximum solatium, cum febre mitiore atque morbo antispasmodicis cedente, quantum inter hunc affectum intersit, et Hepatitidem, praeclare ostendunt.

PROGNOSIS.

De signis quae faustum aut infaustum praesagium praestant, tempus nunc monet ut inquiramus. Priusquam de aegri fortunâ sententia proferatur, consideranda sunt, temperamentum, calor, vitae genus, morbi conditio ; signa semet ostendentia, atque causa morbi primaria. Si omnia signa pyrexiae, aliaque molestiae, curationi

solitae succumbunt; aut si exinanitiones quaevis, veluti haemorrhagia e naribus vasisve haemorrhoidaeis; sudores profusi, aut diarrhoea biliosa, faustam inflammationis terminationem polliceri poterimus.

Haec terminatio saepe tertio, septimo, aut decimo die occurrit. Si contra febris ingravescere coeperit, si aeger inspirando multum torquetur, si capitis arteriae vehementer pulsant, deliriumque effecerint, si diarrhoea et vomitus cum singultu infestant; prognosis fausta vix erit speranda. Si morbus in suppurationem terminet, prognosis tum pro parte * hepatis abscessu occupatâ formari debet. Si pus iter in cavum thoracis aut abdominis, in ventriculum aut intestina fecerit, aegrum longa valetudine macerat, tandemque extinguit. Pauci certè ab hac misera conditione ad sanitatem perveniunt; sed plerisque vires pari passu cum morbo extenuantur, atque macies hectica et mors tragaediae finem imponunt.

DISSECTIONIS INDICIA.

In Hepatitide extinctis, membranae crassiores existunt; vasa sanguifera rubent, atque lympha effunditur. Hac effusa, partes vicinae conglutinari, nec raròò, cum pure in abdomine collecto

* Burserius.

videntur. Quando hoc fit, lethale est, sed variat aliquantulum pro sede abscessûs. Convexum saepius quam concavum hepatis suppuratione laborat; frequenter nihilominus totum viscus in pus converti apparet. Aliquando jecur naturâ minus esse apparet; quae mutatio facile explicatur, ab iis notissimis generis absorbentis legibus, quibus partes non amplius munere naturali fungentes, ideoque ut corpora aliena absorbentibus removentur. Hinc hepatis scirrhi quo diutius duraverint, eo magis quam recentiores diminuuntur. In aliis exemplis, volumen in tantum augeri videtur, ut in iliacam usque regionem descendat; in uno, certè exemplum adeò grande, ut illustrissimus Gregorius, id novemdecim libras pependisse in praelectionibus confirmat. Nonnulli hepar gangraenosum invenerunt (vide Morgagni, epist. 34, art. 25.) quod tamen raró utique, nec unquam mihimet, occurrit. (vide porro Baile, Morb. Anat. p. 218.)

MEDENDI RATIO.

Ut haec inflammatio, ad suppurationem, adeò prona sanetur, ad remedia antiphlogistica confugiendum est. Horum optima longè venaesectio est; sed copia sanguinis emittenda, plus minus esse debet, pro aetate, vitae genere, viribusque aegri; proque violentia, et duratione morbi, regenda erit. Si indicia post amplam venaesectio-

nem non deceperunt, atque aegri vires, bene ferre videantur, iterum sanguinem detrahere licebit. Quod ad modum sanguinis mittendi pertinet meliùs erit, semper ita agere, ut sanguis a magno orificio fluat; quoniam medici semper, et optimo jure, magni vulneris effectum instantem, mirati sunt. Eadem utique copia de plaga exigua flueret; sed tempus hujus fluxus adeo longus est, ut inflammatio topica, ab impulsu quem corpori impertit, liberatior rivus haud multùm inde adjuvetur, etiamsi vigor generalis, quae quam maximè in morbo repetitas evacuationes postulante praeservandus est, parum indè minuatur. Quod ad sanguinis ipsius speciem, Doctor Pemberton ait "Cum aliis absentiam crustae coriaceae non "praxin nostram multùm regere debere accredo; "cum levissimus quivis casus praesentiam ejus "omninò inhibere possit, attamen, cum adest eam "ritè et diligenter observasse, curationem haud "modicè adjuvare puto."

"Itaque si crusta sex horas post venaesectio-"nem, valde firma, compacta, opaca, excavata "quasi, cum margine contracto, si pulsûs simul "durities, et dolor non diminuantur, aegrum tuto "et commode sanguinis missionem laturum haud "ambigue judicamus. Sin autem, crusta post "idem spatium, faciem planam, ostendat, si trans-"pareat, et colorem viridescentem cum striis, "filamentisque trajectis, non iterum ad sanguinis

" missionem generalem confugiamus, sed topicâ, " ut hirudinibus, aut cucurbitulâ solis nitamur." *

Cathartica.—Post venaesectionem cathartica utilissima sunt, praesertim mitiora, qualia sunt, oleum ricini, magnesia, tart. sodae et potassae. Haec optimo consilio praescribuntur, nam et intestina exinaniunt, irritationemque removent, atque ideò sanguinis impetum minuunt; utile, porro est, partem affectam fovere, et alvum enematis emollientibus aperire. Cum medicamentis supra dictis, vesicatoria supra hepar imponantur, crebroque repetantur, lateris enim dolorem, tussim, et respirationis difficultatem mitigant. Si verò tussis et singultus molesti sunt, nihil meliùs omnia haec lenibit quam opium, quod tamen, nonnisi pyrexia sublevata, exhiberi debet.

Quod ad victûs genus, pertineat, id mitissimum esse, et facillimum concoctu debet. Qualia sunt, avena sativa, sago, poma matura et similia. Potus ex sero lactis, aqua pane tosto imbuta, succoque limonum acidulo, ventriculo gratissimus est.

Audax hoc, et constans curandi genus, inquit celeberrimus Tuomy in praelectionibus suis, ex sanguinis missione, purgatione, vesicatione, compositum, acriter et perseveranter, adhibendum est, donec dolor et inflammatio his probe dometur.

Hydrargyrum.—Hepatitide in formam chronicam degeneranti, unguentum hydrargyri, in latus infricatum saepe profuit. Usurpatur donec sali-

* Vide Pemberton, p. 25.

vatio et effectus in corpus generales semet ostenderint, quo facto hepatitis saepe paulatim in sanitatem recedit.

Aquae Minerales.—* A Saunders, aliisque scriptoribus, laudatae sunt, neque multo minùs quam hydrargyrum, si tempore suo admoveantur prodesse apparent.

Amara.—Haec ventriculum roborant, et sic nescio quomodo, hepar in melius, restituere apparent. Intra haec, taraxacum recenseri potest, quod nihilominus, alii auctores non tantum proficere repererunt, ut Pemberton suadet: dixit enim, "Se "usui omnium medicorum hanc herbam commen-"dare; namque, et in scirrho hepatis incipiente, "et in variis ventriculi affectionibus chronicis, "mire proficientem se vidisse."

Sin autem omnia remedia, et coeli mutatio, inter alias causas evitandas, nihil profecerint; atque morbus ad suppurationem processerit, haec modo extrinsecus se dirigat. In sede maxime dependente abscessus aperiatur, magnâ curâ habitâ, ne vulnus claudatur antequam omnis materia ejicitur. Scalpellus communis integumenta externa incidet donec ad abscessum perveniatur; post quod, hic, lanceola, aut triquetro perforatore, penetratur. Triquetrum verò cum canula melius est; quia hoc modolente et pedetentim quasi abscessum vacuare possumus.

* Saunderson on the Liver.

Post evacuationem, propter ingentem debilitatem, quae hoc morbi tempus obsidere solet, victum nutrientem, vinum et alia roborantia prudenter exhibere oportebit. Ad summum, varia in variis exemplis postulantur remedia, de qua re, cum nemo meliùs locutus sit, quam Portal,* de hac ipsa re agens, verbis ejus, coronam operi imponere volui.

"Cependant les obstructions du foie, étant for-
"mées de diverses matières, ne doivent-elles pas
"avoir des terminaisons differentes, et plus ou
"moins promptes ? et leurs remedes ne doivent-ils
"pas etre variés selon leurs espèces, autant qu'
"on pourra parvenir à les connaître ? On ne peut
"néanmoins se dissimuler qu' un voile bien ob-
"scur ne couvre ces connaissances, qui seraient
"si importantes. Il semblerait cependant resul-
"ter de l'observation, que les engorgemens san-
"guins sont plutot suivis de l'inflammation que
"les autres, et que la suppuration, en est une
"suite plûs commune, ainsi que des indurations
"véritablement squirrheuses et les adhérences du
"foie avec les parties voisines. Dans cette es-
"pèce d'engorgement, les saignées, les bains, les
"relâchans seront les remèdes les mieux indiqués.

"Au contraire, lorsque les obstructions seront
"bilieuses, ou lymphatiques, les remèdes ameres,
"les apéritifs savonneux, les eaux conviendront
"essentiellement, telles que celles de Barrège et
"de Bourbonne, jointes avec les mercuriaux,
"l'huile de terebinthine, avec l'ether, &c."

* Portal sur les Maladies du Foie.

FINIS.